Quelle: https://manuscripta.at/?ID=35036
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar/Seminario Maggiore



bona sua constituet eum. Sectm lucam
In illo t. dixit ihs discip. s. parabolam hanc. homo q
dam nobilis abiit in regionem longinquam. accipere sibi reg
num et reuti. Vocatis autem decem seruis suis. dedit
eis decem minas. et ait illis. Negociamini dum uenio.
Ciues autem eius odiebant eum. et miserunt legationem post
illum dicentes. Nolumus hunc regnare super nos. Et
factum est ut rediret accepto regno. et iussit uocari
seruos quibus dederat pecuniam. ut sciret quantum quisq;
negociatus esset. Venit autem primus dicens. Domine mina tua
decem minas acquisiuit. Et ait illi. Euge serue bo
ne. et fidelis. quia in modico fuisti fidelis. eris potesta
tem habens super decem ciuitates. Et alter uenit dicens. Domine
mina tua. fecit quinque minas. Et huic ait. Et tu esto super
quinque ciuitates. Et alter uenit dicens. Domine. ecce mina tua
quam habui repositam in sudario. Timui enim te. quia
homo austeris es. tollis quod non posuisti. et metis quod non
seminasti. Dicit ei. De ore tuo te iudico serue nequam.
Sciebas quod ego homo austeris sum. tollens quod non posui.
et metens quod non seminaui. et quare non dedisti pecuniam
meam ad mensam. Et ego ueniens cum usuris utique ex
egissem illam. Et astantibus dixit. Auferte ab illo minam
et date illi qui habet decem minas. Et dixerunt. Domine.
habet decem minas. Dico autem uobis. quia omni habenti
dabitur. et habundabit. ab eo autem qui non habet. et quod
habet auferetur ab eo. Sectm marcum
In illo t. dixit ihs d. s. Vigilate quia nescitis qua
hora dominus uester uenturus est. Illud autem scitote. quoniam si scisset